



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**  
**Coloniae Agrippinae, 1684**

25. Collegio sublato, an censeatur sublata illius exemptio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

QVÆSTIO XXV.

Collegio sublato an censeatur sublata illius exemptio.

**D**estructio superioris autoritate collegio, perire omnia illius privilegia tradidit Bartholus l. fin. num. 24. ff. de colleg. illicit. per l. cum usufructus ff. quib. mod. u. sup. amitt. Videtur enim tum pati maximam capitis diminutionem & ideo eius omnia privilegia, exemptiones in totum consumuntur per l. cognitionum, in fine, ff. de varijs & extra. id quod adhuc aliquoties supra notavimus, adiecta aliqua distinctione quam hoc loco non statui reperere, eadem parte quæst. 9. & seqq.

QVÆSTIO XXVI.

Singularis seu unus de collegio an impedire possit ne ceteri præiudicent exemptioni.

SUMMARIUM.

- 1. Unus impedit ceteros ne exemptioni præiudicent.
- 2. Idem favore libertatis statutum est.
- 3. Collegium auferre non potest ius Collegæ.
- 4. In re communi potior est conditio prohibentis.
- 5. Major pars non præiudicat minori in rebus communibus & singulis.
- 6. Unus solus de Capitulo nitens bona ratione prævalet omnibus alijs adversantibus.

**L**icet sit pro regula, quod maior pars collegij decernere, statuere, derogare, abrogare possit in præiudicium partis minoris e. cum omnes ubi Felin. n. 17. & summe Doctores de constit. Excipitur tamen in hoc articulo nisi collegium, seu capitulum vellet aliquid statuere contra privilegium seu exemptionem, tum enim unus solus potest contradicere, atque illud impedire Abb. cap. veniens n. 21. post. pr. de præscript. ubi etiam Felin. n. 4. vers. dum allegat Fel. cap. cum omnes n. 18. vers. fallit secundo de constit.

Ratio duci potest à simili, Etenim exemptio est quædam libertas, ut in principio huius tractatus probatum est. dum vero tractatur de revocatione libertatis in servitutem, unus solus impedire potest maiorem partem, Lud. Rom. in rubr. de arbitris coll. 17. per l. si quis hac §. quoties ff. qui & à quibus. Hoc ut quibusdam placuit favore libertatis specialiter licet, Ang. & alij d. l. si quis Fel. d. num. 18. vers. quinto. Illud autem favore sanctæ Sedis, cuius interest plurimos esse immediate subiectos Rebuff. resp.

Mm 2